

1350 conaretur erumpere. Illi interea dum aliud longe diver-
 sum simularent, obversis in id latus proris, quod pro va-
 doso Veneti sine præsidio reliquerant, velis remisque in-
 nixi apertam fugam moliuntur. Jam quatuor triremes alia
 post aliam evaserant: quum Marcus Maurocenus Hadria-
 tici sinus Præfectus, indignitate rei motus, repente unam
 ex iis triremibus, quas ad præsidium maris superiore an-
 no habuerat, in hostem missam, jubet quintam Ligusti-
 cam triremem jamjam in apertum evadentem, ex trans-
 verso ferire. Quod ipsum tam impigre ab iis, quibus id
 negotium erat datum, est factum, ut continuo illa op-
 pressa, reliquæ quæ proxime sequebantur consternatæ, vi-
 cinis littoribus impactæ, parvo omnino negotio captæ sint;
 & quia hostium triremes preciosam habebant mercem, con-
 versi ad eas diripiendas remiges focique navales, quatuor,
 quæ jam altum tenebant, cupiditate prædæ circa captas
 hærentes, abire patiebantur: neque Præfecti, neque cujus-
 quam imperium interim exaudiri. Tum ille tantam occa-
 sionem, suorum avaritia, e manibus labi iniquo animo
 ferens, quinque captarum navium, quæ nondum erant di-
 reptæ, jussit incendi. Id ajunt ab eo factum, ut spe po-
 tiundæ prædæ exutum militem, ad hostem insequendum
 compelleret. Verum dum primo cessat Venetus, inde se-
 se ad persequendum convertit. Ligur interim quam lon-
 gissime abierat: decem longæ naves cum Præfecto classis,
 & septuaginta nobilibus Genuensibus in Venetorum pote-
 statem venire, sine ignobili multitudine, quæ pro nume-
 ro navium omnino ingens fuit. Victor Venetus post Cary-
 stiam victoriam in Chalcidem movit: ubi nobiles Genuen-
 ses cum mille aliis in custodiam traditi sunt: reliqui, qui
 quadringenti circiter fuere, in Cretam missi, & ipsi ibi
 in vinculis habiti. Ejus victoriæ fama Venetias perlata,
 ingenti læticia civitatem affecit. Patres in tam lætis rebus
 haud religionis immemores, statuunt diem quo ad Cary-
 stum Ligur victus esset, inter festos solennesque dies per-
 petuo in Venetis habendum. Ajunt eum fuisse, quem ho-
 die civitas ob Joannis Baptistæ truncationem religiose ob-
 ser-